Fragmentarium

inueniuntur quam digne appetitu non requi-
runt. Unde et ipſa dei ſapientia dicit. Que-
rent me mali et non inuenient. Sed fugienſ
reprobos dilectus monteſ aromatum petit. quia
peruerſos dimittenſ. ſanctas animas uiſitare
non deſinit. que et per contemplationem excelſe
ſunt et per confectiones uirtutum odora unguen-
ta ſecum ferunt. Super hos monteſ dilectuſ
capree et hinnulo ceruorum aſſimilatur. quia in cor-
dibus ſanctorum utroque manifeſtatur. quia pia ca-
ritate humanitatem pro nobis aſſumpſit. Qui
dum ex patribus antiquis natus fuit. quaſi ce-
ruus hinnulus ſicut dictum eſt ſuperius uenit.
Qui dum eſſet diues pauperem ſe ut nos diuitem
faceret. cum eſſet ſuper omnia excelſus. humili-
tatem noſtram ineffabili dignatione ſuſcepit.
Cui immenſas gratias quoadusque uiuimus reddi-
mus. qui pro nobis traditus in mortem. et reſur-
gens in immortalitatem nos ipſos et ſpiritum
et corpus debemus. Qui uiuit et regnat
cum deo patre in unitate ſpiritus
ſancti deus per infinita ſecu-
la ſeculorum. Amen.

Hic liber eſt beate marie uallis ſecrete. quicumque eum a-
ſtulerit uel celauerit uel titulum deleuerit. ana-
thema ſit. Amen.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_260_f122v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5266)